



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Autoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Titulus XXXII. De Operis novi Nunciatione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

munitur teste Donato; jura autem antiqua, cum per jura nova correctæ non sint, ab iis interpretationem accipiant, accedatque super hoc bina declaratio, teste Donato *l. c. num. 7.*

8. Dicitur Septimò: *Citra specialem Papæ aut saltem Episcopi concessionem.* Non posse religiosos mendicantes ædificare de novo monasteria, ecclesias, aut transferre ad alia loca, quod quidem loquendo de licentia Papæ, patet ex *cu. c. ex eo.* posse tamen idipsum eos per privilegia desuper à Sede Apostolica iis post dictam *cu. c.* constitutionem concessa, est quoque extra controversiam; quale privilegium expressè esse concessum minimis, restantur Suar. *l. c. num. 34.* Mirand. *in man. 9. 33. a. 1. concl. 2.* & consequenter tacitè quoque omnibus Reliquis Ordinibus Religiosis, qui cum iis in privilegiis communicant, ut cum iisdem Pith. *l. c. not. 2.* de quo vide *compend. privileg. Societatis. v. bona. §. 6. & v. ecclesia. §. 4.* cui etiam G egor. XIII. 30. *Octob. annò 1576.* speciale concessit privilegium, quæcunque collegia, domos, ecclesias, aliaque ædificia ubicunque locorum erigendi, & per se inhabitandi, nec non quæcunque loca sibi quomodolibet relicta vel oblata recipiendi, emendi, & possidendi. Quod verò attinet ad Episcopos post Trident. *Sess. 25. c. 3. de regular. in fine.* sine eorum prius obtenta licentia non possunt Religiosi in eorum diocæsis nova loca ad habitandum erigere, hæc tamen illorum licentia non sufficit carentibus privilegio pontificio, sed requiritur quoque ad hoc obtenta specialis Papæ licentia, citata siquidem constitutio decretalis Bonifac. VIII. hanc Papæ licentiam requirit, quam constitutionem Trident. non revocavit, sed addidit, ut insuper petatur, & obtineatur licentia Ordinarii, prout declaravit S. Congr. Concil. apud Gallemart *ad Trid. cit. c. 3. num. 5.* & Zerol. *in prax. episcop. v. monachi. §. 2.* Tamb. *de jure Abbat. Tom. 3. d. 5. q. 4.*

num. 3. Barb. *de Off. Episc. alleg. 26. num. 4.* contrarium non minus probabiliter tenentibus Rodriq. *Tom. 3. 99. regular. q. 49. a. 2.* Sorbo. *comp. privileg. mendican. not. §. 2.* Fagn. *in c. non amplius. de Instit. à num. 62.* quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. num. 26. & num. 27.* additâ hac ratione: quod verisimile non sit, eos, qui dicta loca erigendi licentiam impetrarunt à Papa, ad eam etiam ab Episcopo impetrandam obligari; cum licentia papalis licitum reddat, quod antea licitum non erat, eaque ab Ordinarii diocæsanî arbitrio dependere non debeat, Arg. *c. bona. de postul. Prælar.* illud saltem verius, quod religiosi habentes ad hoc speciale privilegium Pontificis ædificandi nova loca seu domus, vel illa mutandi & transferendi præter licentiam Ordinarii opus non habeant ulterius recurrere ad Pontificem, cum privilegia ab eo accepta per Trident. non sint revocata. Porro hæc forma non ædificandi nova monasteria aut ea transferendi citra licentiam Ordinarii servanda, ubi ædificanda in loco exempto à jurisdictione Ordinarii, Cochier. *de jurisdic. Ordinar. p. 2. q. 45. num. 36.* Donatus *l. c. q. 40.* Reiffenst. *h. t. n. 16.* juxta *c. auctoritate. de privileg. in 6.* ubi expressè: *Inhibemus, ne in locis exemptis hoc ipsi exempti facere audeant.* & Arg. Concil. Trident. *l. c.* Secus est, seu nullius Episcopi licentia ad prædicta servanda opus est, dum novi conventus, domus, ecclesiæ construendæ, transferendæ in loco nullius diocæsis, quia neque antiqua, neque nova jura talem consensum, aut alia ad talem novam ædificationem &c. requirunt, cum Trident. solum requirat consensum illum Ordinarii ad Constructionem monasterii in ejus diocæsi. Constitutio verò Clem. VIII. *quoniam. §. 1.* tantum pro locis ejus jurisdictioni ordinariæ subjectis. Ita de Franch. *p. 1. controversiar. inter Episc. & regul. num. 495.* quem refert & sequitur Reiffenst. *h. t. n. 15.*

TITULUS XXXII.

De Operis novi Nuntiatione.

Quæst. 420. Quid sit operis nuntiatio, & quotuplex?

1. **R** Esp. Ad primum: Opus novum nuntiare aliud nihil est, quam illi, qui de novo in alterius præjudicium ædificare intendit, aut in opere jam cæpto pergit, legitime inhibere, ne inchoet, aut in eo inchoato pergat, donec de jure ædificandi constituerit, aut præstita sit eo nomine satisfactio. Unde nuntiatio hæc breviter definiti potest: legitima prohibitio novum opus in alterius præjudicium paranti facta ad id: ne in eo pergat, donec de ejus jure constet; ita ferè Host. *in sum. h. t. num. 1.* Zoel. *in ff. eod. n. 2.* Wieselb. *in paratit. ff. b. t. num. 6.* Pith. *h. t. num. 1.* Sumitur itaque nuntiatio pro prohibere, & ædificare non solum pro constructione, sed & pro destructione, ampliatione ædificii, & mutatione faciei illius, v. g. novam fenestram aperiendo. Arg. *L. 1. §. opus novum. ff. h. t.* possunt enim hæc omnia cedere in præjudicium alterius. Per opus novum non intelligitur opus jam factum, sed faciendum, siquidem nuntiatio non extendit se ad præterita, sed ad futura, ne fiant. Unde, si quid operis novi factum, quod fieri non debuit in præjudicium alterius, cessat nun-

ciatio, & locum habet interdictum, quod *vi aut clam*, vel quid simile, quo restituatur, quod illicitè seu in præjudicium alterius constructum seu factum est. *L. 1. §. hoc autem. h. t.* Per opus novum intelligitur illud, quod cohæret seu conjunctum solo seu in ordine ad remanendum in eo construendum, ac proinde hoc remedium nuntiationis locum non habet; seu fieri non potest nuntiatio novi operis ei, qui messem alienam colligit, arbores succidit, vineam putat, sed alio remedio arceri debet, ut hæc dicuntur expressè *c. 1. §. 12.* Per Satisfactionem denique intelligitur cautio de opere suis sumptibus demoliendo in casum, quo injustè ædificatum pronuncietur, quæ cautio, si à nuntiante opus novum recipiatur, poterit intendens opus novum construere, statim incipere ædificare, vel inceptum opus continuare; quam tamen cautionem post opus constructum oblatam non tenetur nuntians acceptare, *c. significantibus. & c. ult. h. t.* quia ubi semel ædificatum est, durior causa redditur, & difficilius ad demolitionem devenitur. Quod autem dicitur *L. Prætor aut. ff. h. t. oblatâ*, & non receptâ cautione posse aliquem licitè ædificare; ita cum Gl. *in c. ult. h. t. v. non obstante.* intelligendum conformiter. *L. unic. c. h. t.* quod oblatâ cautione de demolendo post tres men-

mensis quis possit edificare, alioquin si statim vel intra menses nunciatus novum opus velit probare suum præjudicium, audiatur non obstante sibi cautione. Reiffenst. *h. t. num. 7.*

2. Resp. Ad Secundum: Dividitur ea multifariam, nimirum ratione personarum à quibus sive per quas, & quibus ea fit, ratione modi, quo fit, & ratione objecti, circa quod fit; de quibus in particulari questionibus sequentibus.

Quæst. 421. A quibus fiat hæc nuntiatio?

1. Resp. Primò in genere: Potest fieri à quocunque interesse habente, ne hoc vel illud novum opus fiat, ut habet communis & certa. Arg. *L. 1. §. 16. ff. h. t.* Econtra nunciare non possunt, ad quos res non pertinet, seu qui jus in re non habent, sed solum rem propter jus ad rem detinent, seu tantum sunt in possessione, ut inquilini & simplices conductores, utpotè quibus nullum jus in re conducta competit. *L. 30. ff. loc. cond. Lauterb. §. 17.* acita nuntiatio facta à persona notoriè inidonea est ipso jure nulla, & liberè sperni potest, *e. 1. §. 2. h. t. Carpz. L. 1. resp. 7. à n. 2. Fachin. L. 8. controv. 44. Lauterb. l. c.*

2. Resp. Secundò in specie: Nuntiatio fieri potest à prætorè (qui & causa remota est hujus juris inducti, idque complexus interdictis duobus *L. 1. in pr. §. 9. ff. h. t.* & hodiè à quovis Magistratu, Lauterb. *in ff. h. t. §. 11.* idque vel coram seu per se ipsum, vel ejus jussu per nuncium v. g. apparitores, ut idem, Arg. *L. 16. ff. h. t.* præsertim dum causa finalis est publica, seu concernit interesse Reipublicæ, & nuntiatio fit juris publici conservandi vel mali publici avertendi gratià, v. g. ne quid fiat in loco Sacro vel Religioso aut publico, in foro, flumine, vel ripa fluminis. *cit. L. 1. §. 26. §. 27. h. t.* vel ne fiat quid contra leges & edicta Principum, *L. 1. §. 17. ff. h. t.* Dicitur hæc nuntiatio publica ex duplici causa, tum ratione talis causæ publicæ, tum quia fit autoritate prætoris vel Magistratus, etiam, dum fit per illum seu mandato illius ad instantiam privati habentis interesse, Lauterb. *l. c. §. 4. §. 5.* Potest quoque fieri à quocunque privato habente interesse, seu cui inde imminet damnum, extrajudicialiter, id est, proprià & non speciali autoritate prætoris, & hæc dicitur nuntiatio privata, Lauterb. §. 6. Pirh. *h. t. num. 5.* qui etiam nunciare potest, etiam si dominium loci, in quo edificandum, habeat minus plenum vel tantum utile, ut creditor qui prædium nomine hypothecæ habet. *L. creditor. ff. h. t. Lauterb. l. c. §. 14.* item Vasallus, utpotè qui servitutem prædio feudali debitam vindicare potest, ut idem §. 13. vel etiam, qui dominium tantum utile habet, ut feudatarius emphyteuta, imò superficiarius, *L. 3. §. si ego. h. t.* item, qui in fundo, in quo de novo edificandum, servitutem realem saltem urbanam, imò & rusticam habet. *cit. L. 3. §. penult. & L. non solum. in pr. ff. eod. cum in his omnibus juri privati nocetur, Pirh. l. c. n. 5. cum Host. in sum. h. t. n. 5. Zoel. ibid. num. 6.* Secus est de eo, qui habet solum servitutem merè personalem, qui non potest opus novum nunciare suo nomine adversus dominum seu proprietarium prædii, si is in eo aliquid attinet, quia usufructuarius, cum non nisi usufructum habeat in re, æquum fuit, ut ei solum concederetur nuntiatio nomine & loco domini, Pirh. *l. c.* cum Molin. *de just. ir. 2. d. 706. num. 25. in fine.* Sic etiam, quibus hoc jus nunciandi competit, illud etiam per alios exercere possunt, v. g. per negotiorum gestores, si speciale ad hoc mandatum habeant & procuratores, etiam, dum spe-

ciale ad hoc mandatum non habent; sed generale tantum. Quamvis, si de ejus mandato dubitetur, volens nunciare de rato principalis cavere debeat, aliàs nuntiatio omnino remittitur, ita Lauterb. §. 16. citans Bachovium *ad Treutl. v. 1. d. 9. th. 8. Lit. B.* item per tutores pupillorum, et si & per se id ipsum possint, dum habent ad hoc sufficiens iudicium; non nisi tamen interpositâ tutorum autoritate, qui nequidem in proprio fundo tertio alicui novum opus molientia nunciare possunt, *L. 5. pr. h. t. Lauterb. §. 15.* idem dicens cum Bachovio & Bardili de minore habente curatorem, Arg. *L. 3. C. de in integ. rest. ceterum, ut idem, tutores & curatores soli absentibus pupillis & minoribus opus novum rectè nunciant. L. 7. §. 1. ff. h. t.* Econtra à nunciando excluduntur, dum in publico opus novum edificandum, omnes, quibus actiones populares non competunt, non enim nisi idoneis pro civitate agere licet. *L. 4. ff. de Act. popular. tales sunt peregrini. L. §. 12. item de portat. & ab Imperatore vel Camera Imperiali proscripti, ut idem, & Gail. de pace public. L. 2. c. 12. n. 29.* hinc à contratio nunciare possunt etiam principaliter omnes civis, *L. 3. §. 4. ff. h. t. Lauterb. cit. §. 12.* item omnes parochiani, si opus edificandum in fundo Ecclesiæ, ex quorum tamen pluribus concurrentibus prætor eligit magis idoneum. *L. 2. ff. de act. popul. Idem cum Brunnem. ad cit. L. 3. num. 5.* item, minus tamen principaliter, incolæ, utpotè qui civibus quò ad functiones publicorum munerum assimilantur. *L. 29. ff. ad municipal. L. 1. 4. §. 6. C. de incol. Bachov. ad Treutl. v. 1. disp. 18. th. 2. Lit. A.* imò forenses, si quid edificetur in via publica, *L. 2. §. 11. C. de servit. & ag. Bachov. Lauterb. l. c. item conductores vectigalium ob utilitatem publicam, Arg. L. 1. ff. de loco pub. friend.*

Quæst. 422. Quibus fieri possit denuntiatio seu prohiberi opus novum?

Resp. Primò: Fieri potest socio seu adversis socium, Vicinum, *L. 3. §. 1. ff. h. t.* in eum tamen finem, ut valeat nunciatio respectu nunciantis, & non respectu aliorum, Lauterb. §. 13. non tamen contra socium in loco communi, *cit. L. 3.* nisi alter neget rem esse communem, *ibid.* si tamen locus, in quo fit opus novum, sit plurium denuntiatio uni facta, censetur facta omnibus, *L. 5. §. 5. ff. h. t.* & si unus non cessaverit ab edificando, is in solidum obligabitur *cit. §. 5. & L. 18. ff. eod.* Lauterb. §. 19. Secundò fieri potest etiam adversus Superiorem in præjudicium subditi sui molientem novum opus, ita expressè *L. non solum. ff. h. t.* Tertio non solum ipsi nomino fundi, sed etiam omnibus, qui in re domine Domini aut ratione rei faciendæ præsentem existunt. *L. §. 3. ff. h. t.* ut sunt, quicumque sunt de domini familia, item fabri & opifices. Lauterb. §. 18. Pirh. *h. t. num. 6.* qui id ipsum quoque extendit ad feminas & pueros. *L. de pupillo. ff. h. t.* imò ad infames & furiosos modò ad sint alii, qui intelligant, quid agatur. *c. cuilibet. ff. h. t. Gl. ibid. v. est furiosum,* quia nunciatio fit rei, non personæ. *L. operis. ff. h. t.* quæ nunciatio, mox ut facta, obligat dominum, et si ei non vel tardius facta, quia procedit etiam contra absentes, ignorantes & invitos. *L. 1. §. 1. ff. h. t. Lauterb. l. c.* citans Vivium *comm. opin. Lit. N. num. 6.* cum, ut dictum, fiat impersonaliter in rem, & non in personam, *L. 10. ff. h. t.* Unde, si opifices dolo malo vel negligentia non cessaverint edificare, dominus re intellectâ, quod

adifi-

edificatum est, tenetur destruere, cum *cit. L. 5. §. 3.* nunciatio in genere pronuncietur valida, adeoque legitimum effectum habere debeat, nullâ domini mentione de nunciatione facta, qui, etsi sciens se parare opus novum, sibi impurare debeat, quod tales adhibuerit opifices, habet tamen contra illos non carentes culpâ regressum ad interesse, Lauterb. *l. c. Arg. L. 27. §. 9. ff. ad Leg. Aquil.*

Quest. 423. Ubi & quo tempore fieri debeat nunciatio?

R Esp. Ad primum: Debet fieri in re præsentis, seu in loco, vel prope locum, ubi fit vel intenditur opus novum. *L. de pupillo. ff. h. t. Pirh. h. t. n. 6.* Lauterb. *in ff. h. t. n. 26.* Ut nimirum confestim ab opere discedatur, *cit. L. de pupillo. §. 2. & 3.* idque, etiam si in diversis locis opus fiat, *cit. L. §. 16.* Unde si nunciatio fiat alibi, v. g. in foro, est inutilis, *cit. L. §. 4.* Lauterb. *l. c.* & si opus fiat in locis pluribus distitis, plures nunciaciones sunt necessariae. Lauterb. *§. 24.* Porrò à loco, in quo facienda nunciatio, dicitur totalis vel partialis; totalis illa, quæ fit pro toto simpliciter loco, in quo facienda, partialis, quæ fit pro parte loci, & tunc nunciaciones necesse habet demonstrare, in qua parte loci fieri prohibeat ædificium. Lauterb. *n. 9.*
2. Resp. Ad secundum: Fieri debet tempestivè, & antequam opus perficiatur. Lauterb. *cit. §. 26.* cum ad opus jam perfectum non extendat se amplius nunciatio, ne fiat, sed interdictum, quod *vi aut clam. L. 1. §. 1. ff. h. t. Lauterb. §. 10.* De cætero perinde est, quo die fiat, & sic etiam die feriati fieri potest. *L. 1. §. 4. junctâ L. 2. §. 3. ff. de fer. Lauterb. §. 26.* qui tamen addit, id à Christianis ob præceptum divinum non accipi, nisi de casu necessitatis.

Quest. 424. In quibus rebus seu operibus locum habeat hæc nunciatio?

R Esp. Præter ea, quæ dicta sunt de hoc in genere supra *quest. 1. h. t.* nimirum quod fieri non debeat, nisi in rebus soli seu immobilibus, sive quæ sola conjuncta, aut conjungenda sunt. Item, quod se extendat tantum ad opera futura, seu quæ nondum facta sunt tempore nunciacionis, ne fiant vel perficiantur, locum ea habet in ædificatione novæ Ecclesiæ, cum ea extruenda non sit in præjudicium alterius Ecclesiæ, juxta *c. 1. h. t.* ubi conceditur nunciatio novi operis contra ædificantem capellam in præjudicium baptismalis Ecclesiæ, (quod ipsum videtur locum habere, dum ædificium Ecclesiæ cedit in præjudicium alterius privati) nisi tamen id fiat ex iusta causa per Episcopum cognita & approbata, eoque permittente, v. g. ob numerositatem populi, amplitudinem parochiæ vel hujusmodi, prout habetur in *Trid. Sess. 21. de Reform. c. 4.* sic extendit se quoque ad ædificationem quorumcumque aliorum, quæ cedere possunt in præjudicium alterius, cum aliàs regulariter loquendo quisque pro libitu construere possit in suo fundo quælibet, ita, ut à vicino prohiberi non possit, ut *Barb. in c. fin. h. t. n. 6.* Mol. *de 7. & 7. Tom. 3. d. 109. à princ.* idque, etiam si vicinus ex eo incommoditatem aliquam sentiat, quia v. g. domus ejus redditur obscurior, vel quia liberior aspectus admittitur, *Reifens. h. t. n. 37.* juxta *L. alius. c. de servitut. nisi tamen vicinus in domo tollentis servitutem habeat urbanam, v. g. non tollentis altius, non officendi luminibus aut prospectui, acquisitam ex pacto, testamento, præscriptione, qualis tamen non*
R. P. Leur. Jur. Can. Lib. V.

cenetur acquisita per hoc, quod quis longo tempore non ædificaverit, cum ædificare in suo sit actus merè facultativus, ex quo non nascitur præscriptio.

Quest. 425. Ex quibus causis fieri possit nunciatio novi operis?

R Esp. Causa generalis in genere est præjudicium alterius, unde earum tres assignantur in *L. 1. §. 6. h. t.* nimirum causa conservandi jus suum, quod novo opere violatur, amolito præjudicii seu damni ex novo opere oriturum, tuitio juris publici seu Reipublicæ, cujus causæ tamen cognitio non requiritur ad actum nunciacionis, sed ad ipsius nominationis justificationem coram prætore faciendam. *Arg. L. 1. §. 1. ff. h. t. Lauterb. l. c. §. 27.* ubi tamen, quod si is, cui nunciatur, causam prohibitionis petat, ea sit exprimenda.

Quest. 426. Quibus modis fiat nunciatio?

R Esp. Primò: Fit verbis solis, vel in scriptis, ut *Mol. l. c. d. 706. num. 15.* quorum tamen certa forma non requiritur, sed sufficiunt quælibet verba intentionem prohibentis, seu nunciantis satis exprimentia; potestque ea fieri per alium nomine illius, cui jus nunciandi comperit; quocunque autem modo fiat, consultum est, ut fiat coram testibus, ut probari possit, eam factam esse; utimur autem verbis, seu nunciacione verbali, dum quis aliquid novi operis facit in suo, contra servitutem tamen, quam in eo habet nuncians, adeoque in præjudicium ejus. Lauterb. *§. 8.* Secundò per manus appositionem, vel jactum lapilli in locum, ubi novum opus intenditur, aut inchoatur, in solenne testimonium prohibitionis. *Mol. de 7. & 7. Tom. 3. tr. 2. d. 706. num. 15.* aliique maxime Hispani. Alii aliter hanc projectionem, nimirum, quod fiat pluribus lapillis, vel materiâ pro ædificando paratis ex loco, ubi quis opus novum parat, ab eo, vel mandato illius, qui jus prohibendi habet dispersis coram Notario & testibus *Carpz. L. 1. Resp. 6. n. 4.* quem modum, etsi aliqui cum Gothof. *in not. ad L. §. 10. ff. h. t.* negent, esse amplius in casu, plures tamen cum Grænev. *de LL. abrog. ad cit. L. §.* Hahn *ad Wesenbec. h. t.* apud Lauterb. *§. 6.* tenent contrarium. Constituitque hæc projectio lapilli, vel lapillorum nunciacionem realem, tamen si projiciens verbis, aliòve signo æquivalente indicare debeat, fieri illam projectionem intentione prohibendi opus, cum non quis projiciens lapidem in illum locum, aut manum ædificio imponens intendat nunciare novum opus, ut *Hofst. h. t. n. 8.* *Pirh. h. t. n. 7.* *Gonz. in c. fin. h. t. num. 4.* *Wiesn. h. t. n. 4.* Tertiò per Prætorem seu Judicem, dum nimirum is, cui jus nunciandi comperit, apud eum institit, ut ipse suâ autoritate prohibeat novum opus. *L. de pupillo. §. 10. ff. h. t. & L. 20. ff. quod vi vel clam.* quamvis autem horum modorum singuli sufficiant ad nunciacionem, consultius tamen & melius est, eam fieri per unum ex duobus posterioribus, eò, quod utens simpliciter verbis contra molientem ædificare in nostro, amittat eo ipso possessionem, faciaturque molientem, seu adversarium possessorem, ita juxta expressum textum *cit. L. §. 10.* *Pirh. l. c.* Lauterb. *§. 8.* qui propterea verbalem nunciacionem meticulousam dicit, quam tamen, quia violenta, à nunciante posse statim recuperari per interdictum, unde *vi.* cum *Vivio. comm. opin. Lit. N. n. 3.* & *Scacc. de appellat. q. 17. lim. 6. memb. 6. n. 12.* asserit *Lauterb.*

terb. l. c. ut & quod utile sit, & hodie receptum, nunciacioni tam verbali quam reali adhiberi Notarium & testes. De cetero dictam differentiam horum modorum parum in praxi observari, & in decernendis processibus non attendi cum Hahn l. c. v. *cum in suo*, dicit Idem.

Quaest. 427. Quis sit effectus nunciacionis novi operis?

R Esp. Primò: Effectus respectu nunciati utroque jure statutus est, ut aedificans desistere debeat à cæpto opere per tres menses, intra quos nunciatus probare debeat suum præjudicium, alioquin quicquid aedificatum est post nunciacionem, totum demoliri debeat expensis ipsius aedificantis, à quo aedificatum sit juxta clarum textum c. 1. h. t. idque, etiamsi aedificium sit pium aut sacrum, v. g. Ecclesia. c. 2. & L. fin. ff. h. t. Lauterb. §. 30. item, si jure seu justè, si injuriâ seu injustè aedificatum sit, cit. c. 1. & L. prator. ff. h. t. Circa quæ notandum primò, quod nunciatus seu is, cui nunciatio facta, desistere debeat ab aedificio necdum cæpto, vel jam inchoato ante omnem cognitionem judicialem, an jus haberet aedificandi, an justè vel injustè nunciatum. L. 1. §. sed si. ff. h. t. tum quia nunciatio habet se per modum appellacionis, quæ pendente nihil innovandum, tum quia ubi semel aedificatum, causa demolendi redditur durissima, meliusque sit jura intacta servari, quam post causam vulneratam remedium quærere, unde etiam nunciatus non tenetur ad expectationem, cautionem de opere novo destruendo, si aedificans de jure aedificandi non docuerit, sed tenetur aedificans expectare per tres menses, ut nunciatus suum præjudicium ex aedificacione sibi imminens probare valeat. c. fin. h. t. Notandum secundò, non sufficere, nunciatum pari opus novum destrui, sed requiri, ut id fiat propriis sumptibus aedificantis. c. 2. h. t. & ibi Gl. in not. & Abb. not. 2. faciendumque id ipsum à successore aedificantis post nunciacionem, modò tamen successor ratam habuerit aedificacionem cæptam aut perfectam post nunciacionem, vel sciens factam nunciacionem, ipse prosecutus fuerit aedificacionem; sicut enim conceditur hoc interdictum hæredi nunciantis, sic datur contra hæredem nunciati, seu prohibiti aedificati. Hofl. in c. 2. h. t. Gl. ibid. v. *expensis*. Abb. n. 8. Pirh. h. t. n. 9. juxta L. prator. §. hoc interdictum. ff. h. t. quin etiam transit in singularem successorem, v. g. in emptorem, dum, postquam nunciatus prædium vendiderit, emptor tenetur destruere, quod in eo aedificatum post nunciacionem, quia non in personam, sed in rem datur. L. fin. ff. h. t. Lauterb. §. 29. Notandum tertio, quod, si is, cui opus novum nunciatum, velit probare sibi jus aedificandi competere, admitti non debeat ad probandum ante destructionem novi operis, seu priusquam omnia reducat ad pristinum statum, non secus, ac spoliator volens probare, jus proprietatis sibi esse in re, quâ alium spoliavit, audiendus non est ante restitutionem spoliati in possessionem; ita Pirh. n. 10. Notandum quarto, quod teneatur nunciatus desistere ab aedificando, & quod aedificatum est, destruere, non tantum, ubi justè nunciatus seu prohibitus est, utpote jus nullum aedificandi habens, sed etiam, quando injusta fuit nunciatio, id, inquam, publicæ pacis & tranquillitatis causâ ita statutum, ne, si post nunciacionem licitum esset nunciato excipere contra eam, & paratum se offerre ad jus suum probandum, ac ita remorandi destructionem,

dum interim si nunciatus negaret hoc jus, occasio daretur rixarum, & facilè ad arma deveniretur; item ne, si spretâ titulo injustitiæ nunciacione pergeretur aedificari, incurraur contumacia contra Prætorem seu Judicem, quem adeundo pro remissione operis viâ juris, se tueri poterat nunciatus, in cujus contumaciæ pœnam suis sumptibus tenetur destruere opus novum. Mol. l. c. d. 706. n. 2. Gail. L. 1. obs. 16. n. 2. Pirh. h. t. n. 12.

2. Resp. Secundò: Effectus nunciacionis respectu nunciantis unus est amissio possessionis, de quo paulò antè; alter, est, quod, si injustè nunciaverit, teneatur actione injuriarum. L. 13. §. fin. ff. de injur. & quod ob turbatam possessionem conveniri possit, v. g. interdicto: *uti possidetis*. L. 8. §. 1. ff. si Serv. vindic. Lauterb. l. c. §. 29. De cetero, dum facta nunciacione utraque pars se committit jurisdictioni Prætoris seu Magistratus, ut desuper cognoscat, effectus consistit in duplici interdicto, quo & nunciati & nunciato subvenitur, nimirum demolitorium vel restitutorium, quod competit nunciati, ejusque hæredibus & successoribus contra nunciatum, dum is post nunciacionem aliquid opus facit, aut illi opus factum ratum habuerit. L. 20. ff. h. t. Lauterb. §. 30. ad demolendum quicquid aedificatum, quantum autem post nunciacionem, nunciatus ex instrumento, quod peractâ nunciacione desuper à Notario, si is cum testibus adhibitis, nunciati demonstrandum, aut si illud deficiat, aliunde probandum, Lauterb. n. 29. Et alterum interdictum prohibitorium, quod conceditur nunciato contra nunciatorem, ad hoc, ut prohibeatur impedire opus, si intra tempus constitutum, de jure prætenso non docuerit, aut ei cautum sit, is autem oblatam cautionem idoneam ob illegitimam causam non acceperit. L. 20. §. 9. & seq. ff. h. t. Lauterb. §. 32. quem vide.

Quaest. 428. Num effectus nunciacionis sit, posse eâ factâ & spretâ nunciatorem propriâ autoritate violenter impedire aedificacionem, aut aedificacionem destruere?

R Esp. Primò: Si quis in eo fundo, quem quis possidet, aliud novum opus aedificare molitur, & post nunciacionem ab opere non desistit, potest possessor seu nunciatus propriâ autoritate, etiam per vim tale opus impedire, & factum destruere, modò id fiat non ex intervallo, sed in continenti, quin & ipsum poterit absque ulla nunciacione operis. Zoel. in L. 3. §. 9. ff. de vi & vi armata. & alii communitet, Arg. L. sed si. ff. de servit. urban. ex ea ratione, quod in talicâ vis irrepellatur, quod omni jure permissum. c. si verò. de sent. excom. L. 1. §. 27. ff. de vi & vi armata. idque tamen non tam vi nunciacionis, quam vi interdicti, quod vi vel clam.

2. Resp. Secundò: Si quis in suo opus novum aedificet, quod tamen in alterius præjudicium cedit, hic propriâ autoritate in continenti ante factam à se nunciacionem, illud violenter impedire, aut destruere nequit. L. de pupillo. §. 10. ff. h. t. quia in suo aedificans ante nunciacionem alteri vim inferre non cenletur.

3. Resp. Tertio: Aedificans in suo & post factam ei nunciacionem pergens aedificare, potest etiam vi adhibita propriâ autoritate à nunciante impediri, & quod aedificatum destrui, idque non tantum in continenti, sed etiam, dum nunciatus auditiâ nunciatis

nunciatioe ad tempus ab opere cessavit, donec nuncians discedat, ac postea nuncians inscio pergat de novo edificare; quia talis nunciatus in hoc casu adhuc vim injustam infert nuncianti, non obstante ad tempus cessatione illâ, & postea reassumptâ edificatione sine permissione nunciantis, ut fuse citatis textibus L. 1. §. L. 20. ff. quod vi aut clam. probat Reiffenst. h. t. n. 25. & seq. quem vide, secundum verò omnes leges & jura licitum est, vim injustam vi repellere.

Quaest. 429. Quibus casibus & modis cesset nunciatio novi operis, ita, ut vim & effectum non habeat?

1. Resp. Primò: Nunciatio alia ab initio est nulla, nimirum ex defectu unius vel alterius ad illam requisiti, aut quia hic & nunc locum non habet, & de hac quæri non potest, qualiter cesset, quia nunquam fuit, & talis est, dum jus edificandi est notorium, & consequenter nunciatio frivola, injusta, & nullum effectum habens, adeoque impudè contemnitur citra factum hominis. Zoef. h. t. n. 3. Abb. in c. 1. h. t. n. 10. Mol. l. c. n. 2. Gail. l. c. obs. 16. n. 4. Pirh. n. 4. ex ea ratione, quòd leges & jura nolint favere deceptionibus & injuriis, qualiter illis faverent, si vellent, ut nunciatus cesset edificare, etiamsi notoriè jus haberet edificandi, & nuncians nullum jus prohibendi, ut Abb. Mol. Pirh. contra Fachin. Controv. L. 8. c. 44. non obstantibus legibus 1. §. 20. ff. h. t. §. L. 1. §. parvi. ff. quod vi aut clam. quibus dicitur, nunciationem habere locum & effectum, sive fiat jure, sive injuriâ, quia similia jura intelligenda non de nunciatioe manifestè & notoriè injusta, sed de ea, de qua aliquo modo dubitatur, num sit valida & justa, an verò injusta, quo casu, etiam appareat, vel æstimetur injusta, nihilominus obligat nunciatum desistere ab opere. Pirh. l. c. Reiffenst. n. 30. & alii communius.

2. Resp. Secundò: Alia nunciatio, quæ ab initio erat valida, quæ morte & remissione interveniente cessat, seu extinguitur, morte quidem nunciantis, si is moriatur re adhuc integrâ, seu priusquam quid edificatum; secus si is moriatur, postquam ceptum edificare aliquid, tunc enim effectus illius, scilicet interdictum restitutorium & demolitorium transit ad hæredes nunciati. L. 20. §. 6. ff. h. t. morte verò nunciati non extinguitur nunciatio quòd ad obligationem cessandi & demolendi, quòd edificatum; ratione hujus diversitatis existente, quòd nunciatio ex parte nunciantis sit personalis, adeoque hujus morte extinguitur, nisi quis suo & hæredum nomine nunciaverit, respectu verò nunciati, sit realis, quia fit in rem, juxta L. operis. ff. h. t. ac ita distinguitur, L. non solum. ff. h. t. junctâ Gl. v. etiam hæredis. Pirh. h. t. n. 15. Lauterb. §. 33.

3. Resp. Tertio: Remissione, eaque privatâ vel publicâ, extinguitur nunciatio. Privatâ quidem, quæ fit propriâ autoritate domini nunciantis, aut per Procuratorem illius instructum speciali ad hoc mandato. L. 13. §. 1. §. 2. ff. h. t. & L. 7. §. 1. ff. quib. mod. pignus solv. motu spontaneo vel pacto, & conventionione inter eos, quorum interest, nimirum inter nunciantem & nunciatum. L. 1. §. 10. ff. h. t. L. 20. §. 2. ff. quod vi aut clam. Lauterb. §. 34. Possit quoque cognatis competere jus privatâ autoritate destruendi, quòd aliâs habet dominus, si alius in fundo ab illo possessio edificat, non obstante L. 13. ff. quod metus causâ. tradit Lauterb. §. 37. cum legislatores quandoque ob

necessitatem & privatorum utilitatem possunt concedere aliquid privatæ authoritati. Arg. L. 3. ff. de j. & j. De cætero fieri quoque potest hæc remissio, seu extinctio interveniente facto denuncia- ti, dum nimirum is præstat satisfactionem de opera propriis sumptibus destruendo, si apparuerit, jus sibi edificandi non fuisse, vel etiam cautionem de super: sicut enim prætor nuncianti dedit jus privatum prohibendi edificationem, ita & nunciatio concessit remedium extra judicium privatim præstandi vel offerendi satisfactionem de præstando, quantæ res illa erit, quo casu poterit nunciatus opus continuare, & sic utrique parti consulitur. Lauterb. §. 35. juxta L. 1. §. 2. L. 5. §. 17. L. 8. §. 2. L. 12. L. 20. ff. h. t. Idem esse dicens, & cessare nunciatioem, juxta cit. L. 5. §. 17. & L. 20. §. 5. si nunciatus arbitrio boni viri paratus sit ad satisfandum, sed ex causa insufficiente per nunciantem steterit, quò minus satisfatur; proceditque idiplum, etiamsi constiterit, nunciatum jus non habuisse edificandi, si nunciatus satisfactionem recepit. Pirh. h. t. n. 16. ut etiam, quando periculum in mora ex dilatione edificiis imminet volenti edificare, cum tunc denuncians teneatur admittere cautionem, multòque magis satisfactionem oblatam, Abb. in c. 2. h. t. n. 9. Gail. L. 1. obs. 16. n. 8. Mol. cit. d. 706. n. 45. Arg. L. 5. §. 12. ff. h. t. quam aliâs non tenetur admittere, si constiterit de non-jure edificantis, neque apparente edificantis iniquitate etiam post tres menses admitti potest satisfactio aliâs idonea, sine nota injusitiæ, multòque minùs obtrudi nunciatori invito, volenti statim probare non-jus edificantis. De cætero Judicis arbitrio relinquitur, quando satisfactio admitti debeat. Lauterb. cit. §. 35. citatis Struv. & Carpz. Publicâ, quæ fit vel immediatè à lege, quando nimirum impudè spernitur à nunciato, v. g. ob publicum interesse vel moram damnosam volenti edificare, de quo paulò post plura, vel quia fit in loco jam per litispendentiam controverso. Mev. p. 2. decis. 180. Lauterb. l. c. qui etiam huc reducit nunciatioem notoriè frivolam & injustam, legibus in his casibus extinctionem statuentibus, vel quæ fit interpositâ autoritate Prætoris vel Magistratus, dum nimirum is nunciante volente, in nunciantis justificatione præstare petitem à se juramentum calumniæ, quòd nunciatioem non faciat ex odio & invidia, aliâve periculosa & perversâ intentione remittit. L. 5. §. 14. ff. h. t. & ibi Brunncm. n. 11. Lauterb. §. 36. Item, si quis procuratorio nomine nunciavit, & non satisfecit, dominum seu principalem id ratum habiturum. L. 5. §. 18. & L. 13. ff. h. t. Item Prætor ipse, si causâ cognitâ nunciantem non habere justam causam nunciandi, & alterum habere justam causam edificandi, potest nunciatioem factam remittere. Lauterb. l. c. juxta L. 1. §. 21. §. 2. ff. h. t. Unde etiam ante cognitionem, si appareat de non-jure, nunciatioem prohibere potest, non tamen insciâ parte. Lauterb. l. c. siquidem, ut Idem cum Mevio, in hac materia nunciatioem regulariter conceditur appellatio à sententia, quâ tamen durante, non datur permissio edificandi, quæ tamen appellatio in causis edificiorum propter interesse publicum excluditur in pluribus locis, nisi fortè opus novum planè insolitum exstruat, ut Mevius p. 3. decis. 379.

Præter dictos modos inhibendi novum opus datur etiam nunciatori actio negatoria & confessoria, de quibus vide Lauterb. §. 38.